

I. N. D.
DISSERTATIO PHILOSOPHICA

De

FVTVRIS
CONTINGEN-
TIBVS,

Quam

CONSENSU AMPLISS. FACULTATIS PHI-
LOSOPHICÆ

PRÆSIDE

M. FRIDEMANNO BECH-

SMANN / Log. & Phil. Pr. P. P.

Eruditorum publico examini submittit

JOHANNES SCHUBARTUS,

Altenb. Misn.

ad diem Jul.

In Auditorio Philosophorum

H. C.

J E N Æ,

Typis JOHANNIS VVERTHERI,

ANNO MDC LXIII.

F. H. 33

Coll. diss. A
7, 15

a. VII. 15.

M. 1. 18

DISERTIO...
FVTVRIS
CONTINGEN-
TIBVS
COMITVS...
F. O. P. H. C.
L. A. S. I. D. I.
M. F. R. I. D. E. M. A. N. N. O. 1765
S. S. I. O. N. I. S.
J. O. H. A. N. N. E. S. S. C. H. E. B. A. R. T. U. S.
A. M. D. C. L. X. I. I.
In A. u. g. u. s. t. i. n. o. P. a. l. a. t. i. n. o.
A. O. 1765



Typis Johannis Verthner
Anno MDCCLXV



IN NOMINE DEI!

§. 1.



Νομίζω καὶ ἐξ ἡμετέρας, Arcopagitarum lege. De futuris Contingentibus impræsentiarum agere animus est. Prius ergò de contingente in genere quædam præmittenda erunt.

§. 2. Sumitur vox Contingentis

apud Philosophos, Aristotelem præprimis, non unò eòdemque modò. Interdum 1. ad eò late, ut contradistinguatur impossibili, ita ut tam necessarium quàm contingens strictius dictum includat. Ita enim ipse Philosophus noster 1. pr. c. 3. §. 5. καὶ τὸ ἀναγκαῖον καὶ τὸ μὴ ἀναγκαῖον καὶ τὸ δυνατόν ἐνδέχεται λέγουμεν. Et hòc sensu rectè diceretur, contingens esse quod DEUS existat, licet sit ens summè necessarium, & cum non esse, impossibile sit. 2. in strictiori significatione & propriè, cum non solum impossibili, sed & necessario opponitur, quò sensu sumitur 1. pr. 13. ubi dicit Aristoteles: *Cōtingere autē ac contingens in presentia intelligo id, ἃ μὴ ὄντι ἀναγκαῖα, καὶ ἐν τῷ ὄντι ἀναγκαῖα ἔσται ἀδύνατον.* Dico, propriè; Prior enim vocis acceptio impropria est, ex ipsius Philosophi indicinâ, cum verbis modò citatis statim subjūgit: *Cum enim necessarium dicimus esse contingens, nominis tantum similitudine id facimus & agnominacione.* Et hæ duæ vocis acceptiones in doctrinâ modalium Aristotelicâ probè notanda sunt, ut Autores passim monent. 3. Strictissimè, ita ut non omnia, quæ, cum necessaria non sint, si tamen ponantur, nihil inde impossibile veniat, sive, ut

alii verba Aristotelis reddunt, nullum inde incommodum sequatur, ambitu suo contineat, sed ea solum, quæ fortuita sunt & casualia, ac præter agentis intentionem fiunt. Et sic accipiunt nonnulli, quando Aristoteles in libb. de demonstr. dicit, *contingentium non esse scientiam, sed necessariorum*, id quod etiam 6. Eth. 3. repetit. Scheibl. l. 1. Met. n. 99. 100. iis tamen alii non sine causa contradicunt, præsertim cum Aristoteles expressè dicat, illud, quod scimus, $\mu\eta\ \epsilon\upsilon\delta\epsilon\chi\epsilon\alpha\theta\gamma\ \acute{\alpha}\lambda\lambda\omega\varsigma\ \epsilon\chi\epsilon\iota\upsilon$. Sumitur autem ita 4. Met. 30. & 5. c. 2. 4. denique *Contingentia* sive *contingere se* apud Latinos ea dicuntur, $\acute{\omega}\nu\ \tau\alpha\ \acute{\alpha}\nu\epsilon\gamma\alpha\ \acute{\alpha}\mu\alpha$, & contradistinguuntur iis, $\acute{\omega}\nu\ \tau\alpha\ \acute{\alpha}\nu\epsilon\gamma\alpha\ \acute{\epsilon}\nu$, sive continuis, de quibus vid. 10. Met. 11.

§. 3. Quo sensu nos sumamus, facile patet. Exulare scilicet jubemus ultimum, tanquam planè ab instituto nostro alienum. Nec primum hinc observamus, quando quidem DEUM, in quem, uti diximus, contingentia eò modo accepta cadit, ex numero futurorum contingentium penitus eximimus. Neque tandem tertius jam obtinet, cum futura contingentia non omnia casu aut fortunâ eveniant, *conf. l. 2. de cæl. c. 8. t. 45. & 6. Met. 9.* Sumimus ergò vocabulum *Contingentis* in alterâ significatione, ita ut notet id, quod in se non est necessarium, si tamen ponatur inesse, nihil inde impossibile sequitur, sive, quod non involvit contradictionem, sive sit, sive non sit, modo, dum est, non sit in se necessarium.

§. 4. Et sic ejus synonymum quandoque est *accidens*, Græcis $\sigma\upsilon\mu\beta\epsilon\lambda\eta\kappa\omicron\varsigma$, $\sigma\upsilon\mu\pi\epsilon\sigma\omicron\upsilon\upsilon$, uti ex citt. & aliis locis videre est; & si quæ sunt alia.

§. 5. Ex dictis autem facile elucescit, quàm malè faciant, qui *liberum* cum *contingente* non semel confundunt. Quamvis enim fatendum sit, ea quandoque con-
veni-

venire, sicut v. g. actiones hominis sunt liberae, sunt etiam contingentes: hoc tamen perpetuum non est, plurima enim dantur, quae sunt contingentia, non tamen libera.

§. 6. Quod ergo detur contingens, forsitan probatione haud opus habere videtur, cum de illis quae per se nota, an sint, quaerere vel tractare supervacuum sit. Non tamen defuerunt, nec hodieque defunt, qui diversum sentiant. Ita Stoicos, quod omnia fato agantur, sensisse, Gellius & cum eo alii neminem ignorare sinunt, quanquam J. Lipsius Ph. St. l. 1. c. 12. mentem eorum ita excusare velit, quasi solum fuerit, decreta DEI esse immutabilia, nec nisi *ἀνταξίω* seriemque causarum naturalem atque necessariam consecutionem dari. Sicut quoque Seneca 4. de benef. c. 7. fatum nil aliud quam Deum, & Philippus l. 2. Ph. Aristoteli fatum atque naturam unum idemque esse asserunt. Stoicos demum alii secuti adeo stolidi fuerunt, ut negarint, dispositionem causarum universi, cui fatalem necessitatem ascribebant, a divina sapientia aut voluntate profectam esse, sed ex se habere intrinsecam necessitatem prorsus inevitabilem, uti ex Augustino & Plotino refert Fr. Svarzcius disp. M. 19. f. 4. Idem a nostratibus solet Contra-Remonstrantibus in Belgio aliisque Reformatis imponi, qua tamen accusatione se liberare conati sunt & adhuc conantur. Quod ipsum excutere, alius considerationis est, Vid. interim B. Dn. D. Major Disp. de term. vit. c. 1. §. 4.

§. 7. Quicquid sit de eorum sententia, ut & de voce *Fati*, an bono & convenienti sensu admitti queat, qua de re Svarzcius c. l. late agit, conf. Thomam Aqu. p. 1. q. 116. nos dicimus, dari contingentia, hancque nostram assertionem & Autorum & argumentorum densissimam nube roborare possumus, v. Chr. Scheibler. l. 1. M. c. 18. n. 22. Unicum

nobis sufficiat, à libertate desumptum. Triplicia sunt agentia libera, DEUS, angelus & homo, omnium confessione: Jam quia libertatis ratio consistit in indifferentia ad utrumque oppositorum, sponte suâ sequitur, dari contingentia. Si enim eas liberum positus omnibus antecedenter ad agendum requisitis potest agere, & non agere, potest hoc & illud producere, quidni sequetur, illud, quod à tali causâ producitur, posse produci & non produci (cùm hæc duo causam aliquam posse hunc & illum effectû producere, & hunc & illum effectû à causa aliqua produci posse, unû idemque sint) adeoque esse & nō esse, quod verò nil aliud est, quàm contingens esse, *conf. Biel. in 1. d. 38. q. 1.* Sed operosâ probatione opus nō habemus: pertinent huc verba *Scoti 1. d. 39.* ubi adversus libertatis humanæ impugnatores disputans, cruciatibus contra eos agendum esse ait, non rationibus: *tamdiu enim, inquit, verberibus pulsandi essent, donec confiterentur, in nostra potestate esse eos non amplius pulsare. Quod si conquererentur, injuriam sibi fieri, respondendum esset, quid de nobis conquerimini, vos ipsi asseritis, non esse in nostrâ potestate, cessare à verberando.*

§. 8. Apparet simul ex dictis, quænam entia sub ambitu *Contingentis*, prout à nobis sumitur, contineantur: omnia scilicet præter DEUM, quippe qui solus est ens absolute sive summè necessarium, nec unquam potuit aut poterit non esse; ab ipso verò, tanquam à causâ primâ, dependent reliqua omnia, præsentia, præterita & futura, *conf. Thom. 1. q. 2. a. 3. Svar. disp. 30. s. 9.* Nec obstat, si dicas DEUM propterea esse ens contingens, quia contingenter operatur, sive, quia operationes ejus, tanquam causæ liberæ possunt esse & non esse; præterea enim quòd discrimen inter DEI actiones ponendum est, non
sta-

statim sequitur, ex eo, quod ens aliquod potest operari & non operari, id quoque posse esse & non esse; sicuti etiam non sequitur, aliquid necessario seu tanquam causam necessariam agere, quia necessario existit, cum, ut visum, DEUS sit ens necessarium, & tamen multæ ejus actiones liberè ab eò proveniunt.

§. 9. Ad contingentium ergò classem hîc spectant omnes creature, tam spirituales quàm corporeæ, tam rationales quàm irracionales, actiones hominum liberæ, fortuita atque casualia &c. Unde *Arist. 3. Eth. 5.* dicit, *virtutem atq; vitium esse è φ' ημῶν, in nostra potestate*, ita ut possimus habitum virtutis aut vitii nobis acquirere & non acquirere. Sic mala pœnæ possunt obtingere nobis & non obtingere, ut in illis quoque contingentia conspiciatur. Quamvis enim etiam quis cum *A. Kirchero It. Exst. 1. dial. 1. c. 6.* dicere vellet, *prælia, cædes, urbium regnorumq; everisiones & alia oriri, dum, DEI permissione & hominum iniquitate ita exigente, globus Martis ab intelligentiis suis concitetur, ita ut in mundo inferiori omnia quasi susq; deq; ferantur*; nondum tamen ea contingentium numero eximet, cum, uti ipse citatus *Jesuita c. 4.* fatetur, astra hominem non necessitent, sed solum inclinent, *conf. Thom. 1. 115. 6. Pic. Mir. libb. adv. Astr. Conimbr. in 2. de cæl. c. 3. q. 8. & 9. & alios.*

§. 10. Nec est, quod objicias, dari quoque inter creaturas, quæ necessitate suâ gaudeant, uti dicuntur esse angeli, corpora coelestia eorumque affectiones, it. beatiæ, quæ dicuntur agentia necessaria; cum tamen aliquid simul necessarium & contingens esse planè impossibile sit, ob rationes contradictorias, quas involvunt, *v. Cajet. p. 1. sum. q. 14. a. 13.* Ad hoc enim facilis est responsio. Nam quod angelos attinet, notum est, eos ab æternò non esse, sed

sed in tempore demum fuisse productos, jam igitur sunt, ita, ut potuerint etiam non esse, quod quid aliud est, quam angelos esse è numero contingentium? 2. notum quoque est hoc, quod angeli non sint à seipsis, sed sicut omnes creaturæ, dependeant à causâ primâ, ita, ut ad esse suum requirant influxum divinum: at vero sicut Deus est agens liberum, potestque agere & non agere; ita influxum suum potest subtrahere: quemadmodum igitur angeli sunt per influxum Dei, ita, subtracto eò, possunt etiam non esse & consequenter adhuc sunt in numero contingentium. Corpora cœlestia, quorum in objectione mētio facta, dupliciter spectari possunt 1. quoad esse. 2. quoad operationes. Hoc posteriori modo aliqua in corpora cœlestia necessitas cadit, necessariò enim agunt; sed ad præsens id non pertinet, cum h. l. non quærat quomodo res creatæ in suis operationibus, sed in se suòque esse habeant. Priori autem modo negatur in corpora cœlestia cadere necessitatem. Nam 1. à Deo sunt producta, ut potuerint quoque non produci. 2. Constant materia & forma, quæ forma ad materiæ essentiam non spectat sed ab ea separari potest, possunt igitur corpora cœlestia quoque corrumpi & consequenter non esse, adeoque & ipsa sunt contingentia. Quod bestias denique attinet, quæ dicuntur agentia necessaria, necessitas ea est in operando, non quoad esse, & sic ad præsens nihil facit.

§. II. In primis igitur h. l. distinguendum est inter necessarium *in essendo* & *in causando* vel *operando*: priori modo opponitur contingentia, posteriori libero, adeoque ex positione necessitatis posterioris non sequitur negatio contingentia, prout hæc opponitur necessitati priori: sic enim contingens cum libero confunderetur, quod tamen supra §. 5. improbavimus.

§. 12.

§. 12. Sed pergendum est. Agimus enim non de contingentibus in genere, sed saltim de futuris. Ait Aristoteles 9. Met. 3. ἐνδέχεται δυνατὸν μὲν ἢ εἶναι, μὴ εἶναι δὲ, καὶ δυνατὸν μὴ εἶναι δὲ. Unde Philosophi communiter *contingens* dispescere solent in *id, quod est quidem, non tamen necessario, & id, quod non est, potest tamen esse*. Quod posterius membrum rursus posset secari in duo. Horum enim, quæ non sunt, esse tamen possunt, alia ita se habent, ut aliquando, v. c. cras, de iis verum sit dicere: *nunc sunt, adeoque pro isto temporis puncto loquendo ad priorem contingentium classem transiliunt, hoc ipso, quod tunc è suis causis exierunt, in quibus hodie latebant; alia autem ita se habent, ut nunquam de iis verum sit dicere: nunc sunt; cū solâ suâ possibilitate contenta nunquam in esse ponantur*. Ex his de illô potissimum modô nobis erit sermo, quô quid non quidem est, potest tamen esse, ita, ut aliquando de eô verum sit dicere; *nunc est*, seu quod aliquando futurum est. Non curamus jam, quod notat Biel. l. c. futurû *Contingens* quoq; sumi posse pro eo, *quod vel erit & potest nō fore, vel non erit, & potest fore*; adeoque etiam futurum contingens esse, quod tamen nunquam erit sive futurum est. Quô sensu forsân *futurum contingens* ita sumitur, ut notet id, quod non solum præterito ac præsentî, sed quoque in futuro tempore contingens est, sive tunc sit, sive non sit; non verò præcisè id, quod quidem potest esse & non esse, erit tamen aliquando, cum nunc non sit.

§. 13. Differt igitur *futurum contingens* à *possibili*, ut angustius à latiori, cum sub eo contineatur: ita tamen ut *possibile* sit etiam id quod cum non sit, esse tamen non repugnat. Notum enim est, vocem *possibile* non uno modo capi. Præter varias significationes, quas B. Slevogtius d. th. 8. §. 2. & B. Stahlius Disc. T. 3. præcunte Tho-

B

ma

ma & Favello recensent, etiam ita strictam habet, ut solum ea designet, quæ respectu nostri possibilis, quæ in nostra potestate sunt, sive quorum principium in nobis situm est, uti 3. Eth. 3. dicitur *δυνατὰ δὲ, ἃ δὲ ἡμῶν γένοιτο ἄν*. Ita sumi quibusdam videtur, quando objectum spei dicitur esse bonum difficile quidem, sed tamen possibile.

§. 14. Superaddunt itaque futura contingentia possibilitati, quam cum reliquis communem habent, *futuritionem*, per quam quasi contrahuntur & ab iisdem distinguuntur. Cum enim *possibilitas* h. l. de se nil aliud dicat, quam rei, quæ non est, ad essendum non repugnantiam, hæc vero aliis quoque, quæ non sunt futura contingentia, cōveniat, *futuritio* certè erit, per quam hæc ab aliis possibilibus, quæ nunquam erunt, differunt, ita ut verè inferas: Futurum est, E. possibile est, non autem vice versâ 8. Met. 4. conf. Slevogt. disp. 3. de in diff. v. h. §. 43.

§. 15. De *futuritione* P. H. de Mendoza disp. de an. s. 6. subs. 1. §. 13. ita ait: *Quid sit, rem esse futuram, adeò per se notum videtur, ut verba desint, quibus clarius explanetur. Ac timeo in futuritione inquirendâ, ne quis arbitretur, me in scirpo querere nodum.* Quamvis autem res hæc Mendoza adeò facilis & per se nota videatur, non tamen defuerunt, qui in sententiarum divortia hîc abirent. Quidam rationem futuritionis sumserunt à voluntate DEI, volente rem esse antequam fit. Ita ut propterea quid futurum sit, quia Deus illud vult esse, cum nondum sit. Alii dixerunt, futurum nil esse aliud, quam quod habet esse in causa aliqua determinatâ, & nondum habet nec habuit in se.

§. 16. Hi tamen acu rem tetigisse non videntur. Inquiritur hîc in primum conceptum & rationem formalem

malem futuri, qui non debet assignari per aliquid, quod eo quoad rationem prius est, uti qui vis facile concedat, qui modo, quid primus conceptus sit, intelligit. Quod tamen faciunt posterioris sententiae patroni. Prius enim ratione nostram concipimus, rem habere esse in causa determinatam, quam, eam futurum esse: idem sentiendum est de priori sententia, quam futuri ratio desumitur a voluntate divina, haec enim sicut vult cum causa concurrere ad productionem ejus, quod futurum esse dicitur: ita prior est futuro, & ad ejus rationem non pertinet.

§.17. Verius cum *B. Slevogtio d. de ind. 3. §.16. ac Dn. Praside Disp. de scientia DEI ante sexennium ferè habitam §. 70.* dicitur, *Futurum formaliter esse existentiam rei in instanti sequenti connotando carentiam ejus in instanti presenti.* Ut ita duo ad futurum requirantur, 1. in instanti sequenti esse 2. in presenti instanti non esse. Nec est, quod objicias, rem *nunc* esse futuram, E. posterius requisitum esse supervacuum. Sic enim simili modo inferre possem: Id, quod nunquam est vel erit, esse tamen non repugnat, *nunc* est possibile, E. est in presenti instanti: quod tamen manifestò falsum. Quando ergo dicitur, rem *nunc* esse futuram, sensus est, rem, quae nunc non est, ita se habere, ut, licet nunc non existat, in instanti sequente tamen extitura sit, adeoque in presenti instanti de eadem dicere, quod sit, falsum dicere sit: in sequenti autem, verum.

§.18. Dari *futura contingentia*, vix videtur ab aliquo negari posse, modò non syncipit malè sanum habeat. Id ipsum tamen sapere verba *Socini pral. Th. c. 8.* alicui videri posset, dum dicit, *contingentia, antequam fiant, etiam respectu decreti divini, nec futura esse nec esse non futura, quia scilicet sint ad utrumque.* Quae ipsa ejus ratio quid in
B 2 recessu

recessu habeat, etiam Tiresiâ cœcior facile perspicere potest.

§. 19. Nos, dari *futura contingentia*, iisdem declarare possumus, quibus supra §. 7. in genere de *contingentibus* usi sumus. Quia scilicet, *contingentia* dari, ipsa libertas, v. g. hominis, evincit, homo enim cum liber sit in operando, facile patet, illum effectum, quem producet, ita esse futurum, & aliquando extitutum, ut possit etiam non esse, h. e. *futurum contingens* esse. Hinc quoque dicitur, electionem esse futurorum contingentium, quæ in nostra potestate sunt. Et istud quidem adeo manifestum est, ut nonnulli planè in eam sententiam descenderint, hominem sive voluntatem hominis liberam esse, non pro eò etiam instanti, quo actu aliquid vult, sed tantum pro instanti antecedente, adeoque libertatem arbitrii tantum circa futurum versari: quæ opinio est inter alios Occami & Gabrielis l. d. 38. q. un. Quos tamen refutat Fr. Soarius Disp. 19. f. 9. & ex eo B. Hornejus Phil. Mor. l. 2. c. 5. th. 16. 17. qui alios præterea Autores citat.

§. 20. Quamvis autem *futuri contingentis* significatio absque incommodo ita posset ampliari, ut cancellis suis includat *suò modo* omnia entia præter solū DEUM, utpote qui solus nunquam inpotentiâ fuit, quia repugnat, eundem, tanquam primum ens, ab alio in actum deduci. *Suò modo*, dictum fuit. Licet enim de angelis, mundo &c. hodie non possis dicere, ea esse futura contingentia; potuit tamen illud aliquando dici, scilicet cum nondum essent extra causas suas constituta. Quamvis, inquam, bene ita ampliari posset, fere tamen nomine *futurorum contingentium* ea à Philosophis intelligi solent, quæ ordinem habent ad voluntatem creatam, quæ indifferen-

differenter se habet ad agere & non agere, agere hoc vel illud, adeoque libera est, quod post *Thomam, Scotum, Bielium, Soarium, Fonsecam, Mendozam, Becanum & alios* egregiè contra adversarios demonstrat *B. Slevogtius* *dispp. de ind. v. h.* Et in hâc significatione contradiſtinguntur *futuris necessariis*, quæ ita vocantur, quia ab agentibus libertatis expertibus proveniunt, adeoque positis omnibus ad agendum requisitis non possunt non produci, utur aliàs, generalius loquendo, sint contingentia, & æquè possint esse ac non esse, sæpiusculè etiam inhibeantur, dum aliquod prærequisitum deest, uti vel ex solo exemplo ignis Babylonici apparet.

§. 21. Claret simul ex dictis, quænam causa sit, à quâ tales effectus, quos huc pertinere diximus, habent, quod *futura contingentia* sunt. Excluduntur nimirum *agentia necessaria* sive, ut aliàs vocantur, *naturalia*, uti per se patet, ac probat *Svar. c. l. f. 10.* & relinqvuntur sola *agentia libera*. Cum hæc verò non sint unius generis, dicendum, effectum futurum contingentem, pro ut hîc sumitur, hoc ipsum, quod est futurum contingens, habere à causa secunda, quæ illum liberè producet. Cum enim *DEUS* voluntate ordinatâ decreverit, se concursu suo generali velle cum causâ secunda libera & ad utrumque oppositorum positis omnibus requisitis, inter quæ ipse etiam *DEI* concursus est, indifferente, concurrere ad omnes actus, ad quos ista causa secunda se liberè determinat, ultrò sequitur, ab eâ pendere effectus contingentiam, hoc ipso, quod in causâ secundæ liberæ, & quidem proximæ, arbitrio positum fuit, generalem illum *DEI* influxum ad talem vel talem in specie actum determinare, *conf. Thom. l. 1. q. 14. a. 13. ad 1. Slev. dispp. 2. de ind. §. 54. seqq.* Et patet ulterius ex eò, quòd, si per impossibile nul-

ia daretur causa prima libera, sola autem secunda talis
esset, nihilominus effectus hujus causæ ante suam pro-
ductionem esset futurum contingens. Agit hac de re *Bi-*
el. c. l. & Svar. c. l. it. f. 4.

§. 22. Et nihil interest, siue causa illa sit per se Phy-
sica, siue moralis, siue per accidens ex parte causæ, siue
ex parte effectus. Quando enim Ictus ægrotum sanat,
& quando quis sciens manum ab utre in aquam depresso
removet, ut ille ascendat, utrobique effectus per acci-
dens à causa suâ habet, quod ante productionem futu-
rum contingens fuerit.

§. 23. Sunt autem *futura contingentia, juxta Bielems*
d. l. duplicia: *Complexa & incomplexa.* Prioris generis
exemplum ponit hoc: Christus judicabit mundum;
posterioris Anti-Christum futurum. *Juxta Bielem,* in-
quio, qui & ipse secundum loquendi modum aliquorum
se ita distinguere dicit. Alias, si accuratius res considere-
tur, forsan dici potest, confundi hîc *propositionem de fu-*
turo contingente cum suo objecto, siue *futuro contin-*
gente, cum tamen objectum & id, cujus est objectum, in
re ipsâ unum non sint. Eodem sane modô posset quis
conceptum aliquem, de futuris contingentibus in intel-
lectu formatum, vel etiam intellectus de iisdem com-
positionem aut divisionem, cui extra mentem proposi-
tio respondet, *futurum contingens* vocare, quod tamen
valdè inconueniens fore videtur. Potest verò tale futu-
rum contingens complexum, siue potiùs propositio de
futuro contingente, iterum distinguui in eam, *quæ est cum*
tempore determinato v. g. Petrus cras veniet: & *quæ est si-*
ne tempore determinatô v. g. Petrus veniet. Et utraq;
rursus in *simplicem & conditionalem,* ut ex mox dicendis
clarius evadet,

§. 24.

§. 24. *Incomplexa* etiam sunt in duplici differentiâ, alia *absolutè & determinate futura*, uti Pauli tempore erat, quod Anti-Christus sessurus esset in templo DEI; alia *hypothetica sive conditionata*, quæ scilicet à conditione pendent, nec in esse ponuntur, nisi eâ impletâ, uti *Luc. 16.* dives lurco futurum esse putabat, fratres suos pœnitentiam acturos, si quis à mortuis resurgens ad eos veniret. Et talem futuritionem describit *Mendoza disp. 9. d. an. s. 6. s. 5. §. 77.* quod sit *existentia rei in aliquo instanti dependens à conditione explicatâ in propositione hypotheticâ* conf. *Becan. Th. Sch. tr. 1. c. 10. q. 5. Slev. d. 3. deind. §. 15.* Probè autem notantum, quod *Mend.* dicit, quod explicetur in propositione hypotheticâ: Unde, quæ natura futurorum contingentium hypotheticorum sit, facile iudicabit, qui propositionum hypotheticarum doctrinam bene perspectam habet. Hæc verò futura iterum possunt constitui duplicia: 1. quorum conditio aliquando implebitur, adeoque ipsa etiam in esse ponentur. 2. quorum conditio nunquam implebitur, & consequenter ipsa quoq; nunquam de futuris præsentia fient.

§. 25. Quoniam ergò dantur *futura contingentia*, ea intellectûs etiam objectum aliquod esse consequitur. Si enim ille, præter entia in actu posita, non solum ea, quæ nunquam futura erunt, sed & quæ planè esse nequeunt, cōcipere potest, quâ fiet, ut illa nequeat, quæ, utut hōc instanti non sint, insequenti tamen erunt? Et quidem, ut intellectum increatum prius videamus, quod DEUS futura contingentia cognoscat, præter *Ciceronem 2. de div.* strenuè negant *Photiniani*, hōc ipsō ipsis quoque *Mohammedanis* impudentiores, uti, quoad hoc etiam punctum, de utrisq; *vir. Clariss. J. H. Hottingerus* probat, *Hist. Or. 1-2. c. 3. p. 371.* Satisfecit autem iisdem præter ali-

OS

os Dn. Praeses cit. disp. §. 88. usque ad 114. qui legi potest.

§. 26. Eadem sententia tribui etiam *Arminianis* si-
ve *Remonstrantibus* solet, & in specie *Simoni Episcopo*,
dum hâc de re dubitat, & stante hypothese, quod futura
contingentia, quatenus talia, non sint scibilia, divinae sci-
entiae ait non magis quicquam detrahi, si dicatur, DE-
UM nescire, quae scibilia non sunt, quàm divinae omnipo-
tentiae detrahatur, si dicatur DEUS non posse, quod pos-
sibile non est, aut quod contradictionem implicat. Imò,
quod *sola verisimilia sub praescientiam DEI cadant*, senti-
re dicuntur.

§. 27. Quicquid sentiat *Episcopus* & alii *Arminiano-*
rum, omnibus ea sententia tribui posse non videtur
Ipse Jac. Arminius disp. Th. publ. 4. §. 30. dicit, intellectum
DEI esse *vita ipsius facultatem naturam & ordine primam*,
quâ omnia & singula, quae entitatem qualemcumq; habent,
habitura sunt, habuerunt, habere possunt, ex hypothese ha-
berent, omniumq; & singulorum inter se ordinem, connexi-
onem respectusq; varios, quos habent aut habere possunt, di-
stinctè intelligit. Id quod repetit disp. priv. 17. §. 1. & §. 5.
expressè ait: *Intellectus DEI certus est & infallibilis, adeo*
ut etiam futura contingentia certò & infallibiliter videat
sive illa videat in causis ipsorum, sive in se ipsis.

§. 28. Quod vero attinet ea, quae §. 26. adduximus,
pseudos latet in ea hypothese, *futura contingentia,*
quatenus talia, non esse scibilia. Falsum inquam, hoc est,
sive in futuris contingentibus spectes *contingentiam,*
quia aliàs ne quidem *contingentia praesentia,* sive quae jam
in esse constituta nec amplius futura sunt, essent scibilia;
sive etiam *futuritionem* in iis attendas, cum sic nec futu-
ra *necessaria* caderent sub intellectum, adeoque non ef-
sent scibilia sive cognoscibilia (haec duo enim hic idem
sunt.

sunt. Aliàs si vox *scibilis* aliò modò sumatur, concedi posset, futura contingentia non esse scibilia, sed ita nil contra nos obtinetur, *conf. Mend. disp. 5. de an. s. 3. §. 13.*) quod tamen nemo, puto affirmabit. Illud autem adhuc stolidius est, nec à blasphemiâ alienum, quod dicitur DEUM tantùm verisimilia cognoscere posse. Sumatur vox *verisimile*, quomodocunq̃ velit, sive prout opponitur fortuito præcisè, sive prout sumit *Arist. 1. Rhet. 2. pro eo quod plerumq̃ fit, ita tamen ut aliter etiam fieri possit*: quid ex hâc sententia aliud emerget, quam quod intellectui divino humanus, quem tamen infinitis modis superat, tanquam modus aut mensura ponatur? Effugit quidem effectus fortuitus præscientiam humanam, hòc ipsò quod fortuitus est, non tamen proptereà quoq; divinam, cum respectu causæ secundæ fortuitus dicatur, non simul primæ, ut pote cujus ab ordine nil potest subtrahi, aut præter scientiam ejusdem fieri, *vid. August. l. 5. C. D. c. 9. Thom. p. 1. q. 103. a. 7. Svar. D. M. 19. s. 12. Conimbr. in 2. Ph. c. 6. q. 1. a. 1. & c.* Exemplum quod *2. Reg. 7.* legitur, nil minus quam verisimile fuit, & tamen illud præscientiam DEI non fugiebat, uti negari non potest, ex ipso textu abundè patet.

§. 29. Scit igitur DEUS & ab æterno scivit futura contingentia uti statuunt *Biel. in 1. d. 38. q. un. Thom. p. 1. q. 14 a. 13. & l. 1. contra gentes c. 67. Svar. disp. 30. s. 15. §. 31. & in opusc. de sci. DEI Mend. disp. 9. de an. s. 6. s. 2. §. 43. 44. Becan. Th. Sch. T. 1. c. 10. q. 5. §. 31. Scheibl. l. 2. met. c. 3. Slevogt. disp. de ubiq. DEI rat. sci. & saniores alii omnes, apud quos rationes hoc ipsum evincentes legi possunt. Præscit autem ea Deus ita, ut etiam non præscire potuerit, cò ipsò quia contingentia adeoque ad esse & non esse indifferentia sunt.*

C

§. 30.

§. 30. Præscivit porro Deus ab æternò futura contingentia, non per eorundem realem cœxistentiam, quippe quæ, cum contradictionem implicet, nulla fuit: quod tenendum contra Thomistas ipsumque Thomam, uti quidem nonnulli eum accusant. Nec per liberam voluntatis determinationem, sive in voluntatis sue decreto, ita ut res aliàs ad esse & non esse indifferentes determinet; contra Scotum ejusque asseclas: cum, ut supra §. 21. visum, Deus voluntatem creatam non determinet ad hanc specie actionem, sed potius ab eâ determinetur. Imò positò, cum determinare voluntatem nostram, non tamen propterea per hanc ipsam determinationem cognoscere dici potest, si de omni ratione, quâ Deus futura contingentia cognoscit, sermo sit. Sed cognovit cognoscitque ea 1. in seipsis h. e. in propriis rationibus, sive in propriis naturis 2. in suâ causâ i. e. ita ut comprehendat liberum arbitrium nostrum, uti ab æternò potuit prævidere, in quâ partem se sit determinaturum v. *Becan. c. l. q. 7.*

§. 31. Videntur ergò futura contingentia, dum à Deo cognoscuntur, præsentia esse intellectui divino, nō quidem præsentia reali, seu quæ existentiam præsentis ponat; sed saltem intentionali, sive quoad esse objectivum; quæ ipsa præsentia ad cognitionem sufficit *conf. Slev. d. th. 8. §. 13.* Et hæc futurorum contingentium cognitio continetur sub divinâ præscientiâ, *quamdiu talia sunt.* Quem π ϵ σ δ ι \omicron ρ ι σ μ \omicron ν non præter causam adjicimus; Quam primum enim ea, quæ futura contingentia erant, classe futurorum exeunt, & in esse ponuntur, v. c. si Petrus, de quo heri verum erat, eum disputaturum esse, nunc disputat, non amplius præscientia vocari potest, sed scientia, nimirum propter objecti mutationem v. *idem B. Vir, disp. th. 17. §. 34. 35.*

§. 32.

§. 32. Et hæc ferè disputari solent de divinâ scientiâ futurorum contingentium absolutorum. Quod conditionata attinet, ea etiam à DEO cognosci, benè statuunt *Suar. d. 30. f. 10. §. 32. & alibi. Mend. cit. d. 9. f. 6. §. 83. Becan. & Scheibl. cc. ll. Slevogt. c. l. §. 50.* Sic DEUS prænoverat & prædicebat quoque, Ceilitas tradituros esse Davidem in manus Saulis, si David Ceilæ maneret; & tamen consequens hypotheticæ hujus propositionis nunquam in esse positum fuit, eò ipsò quod antecedens sive ejus conditio, à qua pendeat, non implebatur nec unquam implenda erat. Id quod ex naturâ quoque propositionum conditionalium in genere probari potest, quippe quæ, uti de se nec antecedens nec consequens in esse, ita etiam in nullâ temporis differentiâ ponunt. Quæ verò hîc opponi possunt, apud *Becanum* & alios refutata videantur. Vocatur autem scientia DEI, quæ pro objecto hæc futura conditionata habet, à *Scholasticis* scientia *media*, quasi media sit inter *simplicis intelligentiæ* scientiam & *visionis*: describiturque ab *Arminio disp. pr. 17. §. 11.* quòd sit, quâ (DEUS) *novit aliquid futurum, si hoc sit.* Quæ ipsa *scientia media* multos experta est hodieque experitur adversarios, ita verò, ut multi rem ipsam non negent; ex quibus tamen isti, qui quidem concedunt conditionalem DEI scientiam, respectu objecti, quod saltim conditionaliter futurum est, ita dictam; ipsam autem apprehensionem, quâ illud sub conditione futurum esse cognoscat, negant, quomodo contradictionis laqueo sese exuere velint, ipsi videant.

§. 33. Hæc de intellectu increato. Creatum etiam futura contingentia cognoscere posse, nemo negabit, nisi qui, sese aliquid intelligere, ipse non intelligit. De angelis vid. *Thom. p. 1. q. 57. n. 3.* de anima humana *eundem*

dem q. 86. a. 3. & 4. conf. 2. 2. q. 47. a. 1. c. Et patet ulterius, quia Prophetia de futuro contingente est, (negat quidem hoc Thom. 2. 2. 171. 3. dicens, posse etiam prophetiam esse de præterito, uti illud: in principio creavit DEUS coelum & terram; item de præsentibus, uti 1. Cor. 14, 24. Sed lusus esse videtur in æquivocatione vocis prophetia.)

§. 34. Possent autem scientia hæc intellectus creati, perinde ut increati, & ad hunc analogicè loquendo, suo modò etiam in scientiam simplicis intelligentiæ, visionis & mediam (ponamus in præsentibus, distinctionem istam nihil incommodi habere) dispesci. Si enim Petrus v. g. cognoscit, possibile esse, se disputaturum, scientia simplicis intelligentiæ; si cognoscit, se disputaturum, quod etiam cras facit, scientia visionis; si demum cognoscit, se disputaturum esse, si modò materiam disputationis intelligeret, scientia media vocari posset.

§. 35. Quamvis verò scientia futurorum contingentium intellectu creato, uti visum, omninò conveniat, non tamen ejusdem certitudinis & infallibilitatis est cum scientiâ increati. Cognoscit enim hic futura contingentia certitudinaliter, ut loquuntur, & infallibiliter, vid. Biel. l. sep. cit. iste non, quia non solum non semper sine formidine potest alteri contradictionis parti assensum determinatum præbere, sed etiam, ut hoc faciat, non tamen semper veritatem attingit, & sic intellectus certitudinem nullam acquirit. Et quidem potest hoc monstrari comparatione factâ ad intellectum increatum: Iste, docente Becano Th. Sch. t. 1. c. 10. q. 11. certitudinem præscientiæ suæ sumit ex duplici capite: 1. ex infinitâ vi & perspicacitate suâ, 2. ex determinatâ veritate futurorum contingentium, seu quod certo & determinatè

natè

natè sunt futura. Quamvis igitur quoad posterius intellectus increatus præ creato nil peculiare habeat, (cum in ordine ad intellectum creatum futura contingentia æquè sint certa & determinata ac in ordine ad intellectum divinum) habet tamen quoad prius: sicut enim in genere certitudo cognitionis in diversis naturis diversimodè invenitur, secundum conditionem uniuscujusque naturæ, ita in specie etiam certitudo cognitionis, quæ futurorum contingentium est. caret scilicet intellectus creatus infinitâ vi & perspicacitate, ita ut *sibi relictus* ne quidem futuros effectus naturales præscire infallibiliter queat, nedum eos, qui à causâ liberâ liberè proveniunt. Probatur istud inde, quia licet effectus necessarius, sive naturalis sit talis ab intrinseco, eò quòd procedat à causa naturali ad unum determinata; est tamen simul etiam contingens ab extrinseco, dum nimirum causa illa, à quâ in esse ponitur, ab extrinseco impediri potest, v. g. dum concursus DEI generalis vel alia ad agendum requisita conditio eidem subtrahitur, *conf. Suar. d. 19. f. 10. §. 4. seqq.* Unde quoniam DEUS concursum suum aut aliud requisitum planè insciò angelo aut homine subtrahere potest, facilè patet, qualis certitudo præsentia humanæ vel angelicæ in isto casu esse queat. Præsciunt scilicet tales effectus saltem probabiliter. Reliquos autem, quos causa planè libera producit, aut penitus non præsciunt, aut tantum conjecturaliter, ut ita loqui liceat.

§. 36 Hæc tamen, uti insinuavimus, dicimus de intellectu creato *sibi relictò*. Unde certitudinem infallibilem quoad futura contingentia ei non planè denegamus. Docent enim *Thoma 2. 2. 4. 8. c.* certitudo dupliciter spectari potest: 1. *ex parte subjecti*, quo modo certius dicitur, quod intellectus plenius consequitur. 2. *ex*

parte causa, quomodo certius est, quod certiozem habeat causam. Posteriori respectu omnino concedere possumus cuidam praescientiae creatae de futuris contingens certitudinem maximam. Si enim DEUS v.g. Gabrieli revelaret, cras futurum esse finem mundi, ille hoc certissime sciret, & sine omni formidine oppositi assensum praerberet propter causam praescientiae suae, DEUM scilicet revelantem, quam mendacii angelus in bono confirmatus arguere nequit.

§. 37. Et hinc est, quod *Autores* dicunt, intellectum creatum propterea *naturaliter* non posse certo cognoscere futurum contingens, quia virtus creata non potest evidenter cognoscere, aliquid esse futurum, nisi ex causis suis, non vero in se, ex causis autem non potest necessario inferri, effectum esse futurum, cum tales causae contingenter causent, seu ita agant, ut possint non agere; seu ut actio etiam possit impediri *vid. Thom. p. 1. q. 57. a. 3. & q. 86. a. 4. c. Suar. disp. 35. s. 4. n. 9.* Unde etiam *Thomas* priori loco infert, angelos magis praescire futura quam homines, quia illi rerum causam perfectius cognoscant.

§. 38. Dicit autem *Thomas p. 1. q. 86. a. 4.* futura, prout sub tempore cadunt, non intelligi ab intellectu nostro, nisi secundum reflexionem, cum sint singularia, quae directe quidem a sensu cognoscantur, non vero ab intellectu, sed ab hoc solum indirecte; prout autem rationes futurorum sint universales, ea directe ab intellectu ut universalia cognosci. Gemella his etiam *art. praec.* docet de *contingentibus*. Sed haec excutere hic non libet. Hypothesin illam, quod intellectus noster directe ac primo cognoscat universalia, deinde autem ac indirecte singularia, refutat ex *Suario Mendoza de an. disp. 5. s. 6. conf. Conimb. in 1. Ph. c. 1. q. 4.*

§. 39.

§. 39. Cum v. cognoscere non solum intellectus, sed & sensus officium sit, similiter quæri potest: *an futura contingentia etiam ab animâ sensitivâ cognosci possint?* Celebris locus est *Philosophi 3. de an. 10.* ubi dicit, rationem & cupiditatem contrarias fieri in iis, quæ percipiunt tempus, cū mens ob futurum retrahere jubeat, appetitus autem persequatur præsens, *quia futurum non perspicit, Ἐὰ τὸ μὴ ὄραν τὸ μέλλον.* Ex quô quidam colligunt, animam sensitivam futura cognoscere non posse, unde & inferunt, neque bruta posse cognoscere futura contingentia, quatenus talia, quippe quod solius rationis est. Si objiciatur, animal cognoscere futura, quia bonum sperare potest, malumq; timere, uti v. g. canis fustem videns plagas timet. Respondet *Thomas 1. 2. q. 40. a. 3.* quamvis bruta animalia non cognoscant futurum, tamen ex instinctu naturali ea moveri ad aliquid futurum, ac si futurum præviderent, hujusmodi enim instinctum illis esse inditum ab intellectu divino prævidente futura. Idem repetit *q. seq. a. 1. ad 3.* Et *Keckermannus l. 3. Syst. Ph. c. 26.* ait, in bestiis metum quidem esse, sed longè obscuriorem, quàm in homine, cum nō metuât objecta probabiliter aut à longinquo futura, sed admodum propinqua, & ita in præsentia ante oculos versantia, ut pro præsentibus haberi possint. Unde dicit, canem metuere sibi à baculo, sed ab eo, quem jam sibi imminetem videt, ideoque non viso baculo, redire eum ad indolem suam caninam priorum verberum oblitum. *Conf. Svar. d. m. 1. s. 6. n. 18.* ubi disputans, brutis prudentiam saltim per translationem convenire, ait: *non enim utuntur discursu, nec habitum acquirunt, quô de agendis judicent; sed quia naturali instinctu ita sepe operantur, ut toti naturæ expedit hic & nunc, & ideo provident de futuris*
ac si

ac si verè ratiocinarentur &c. Et paulo post : Igitur prudentia hæc brutorum specialis sagacitas quorundam est, quæ natura instinctu ita reguntur, ut rationem & prudentiam hominis imitari videantur. Rem in medio relinquitur, & an locus ex Arist. cit. hoc probet, ad quod probandum adducitur, dubitamus.

Hic esto

TERMINUS.

COROLLARIA.

1. Intellectus semper est veri.
2. Principiorum non datur scientia.
3. Potest circa idem dari & scientia & opinio.
4. Potest idem Syllogismus esse & demonstrativus & topicus.
5. Idem non sunt scientia & opinio. Conf. de hæc & præcedente *Themist. paraphr. in 1. post. c. 48. 49.*
6. Privativum esse positivum, non est absurdum.
7. Contradictorias simul posse veras & falsas esse, absurdum non est.
8. Thesis præced. nihil detrahit principio primo, *Impossibile est idem simul esse & non esse.*
9. Q. An DEUS sit omnium rerum *essentia?* N. *contra VVeig. lib. de loc mund. c. 17.*
10. An DEUS sit prima rerum materia? N. *contra VVeig. in Theol. cap. 6. p. 17.*

FINIS.

Coll. diss. A. 7, misc. 15